

31

§. III.

REVELATIONES PATRIARCHIS AC
JUDÆIS FACTÆ.

XXIV. In hoc miserationis statu, ad quem per Protoplasti peccatum devoluti sumus, spiritui adversus carnem continuo præliandum foret; quodque tristissimum accidisset, gloriosus bellorum exitus sperari haud potuit. Verum adfuit illico humano generi Creator providus, atque ipsos iam *Adami filios* et *nepotes* ad religionem ac moralitatem benevole educavit.

XXV. Invalecente postmodum hominum plerorumque perversitate, Deus primo *Noachum*, dein *Abrahamum*, *Isaacum*, *Jacobum* ceu instrumenta conservandæ veræ religionis elegit; eosque novis revelationibus, instructionibus et promissionibus dignabatur.

XXVI. Aucta et in gentem ex crescente Israelitarum familia novum genus œconomiæ ingressus Deus, statum civilem religioni iungens, THEOCRATIAM constituit, atque novi huius instituti *Mosen* designavit auctorem.